



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Approbatio Censoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

APPROBATIO CENSORIS.

CUM olim Camilli, & Serrani, & Cincinnati, & Romanorum optimus quisque optimè rem rusticam tractarent, terra & fructu erat uberior, & aspectu pulchrior. Causam inquirens Plinius: Ipsorum, inquit, tunc manibus Imperatorum colebantur agri, ut fas est credere, gaudente terrâ vomerre laureato, & triumphali aratore: sive illi eadem curâ semina tractabant, quâ bella; eademque diligentia arva disponebant, quâ castra: sive honestis manibus omnia lætiūs proveniunt, quoniam & curiosius fiunt. Simile quiddam de his Illustrissimis Viris pronuntio, qui mihi videntur libellos edere vel propterea cultiores, quod generosius ipsorum sanguis generosos afferat ad Poësim impetus, gaudentibus Musis artes suas quamvis per se nobilissimas, ab iis tamen geminâ causâ nobilitari magis. Carmen scribunt pari laude, quâ res administrant carmine celebrandas. Ingeniosi sunt, & eloquentes, sive arcanos Principum sensus, sive inventiones ipsi suas liberas & amenas exponunt eò majore cultu, quo studiosius omnia sua ad dignitatem referunt. Ita olim Cesares, Augusti, Germanici, Tiberii, qui Principes! quamvis illos ab institutis studiis deflecterent publicæ terrarum curæ, temperabant eas tamen privatâ scribendi diligentia; & quasi

quasi triumphorum ac literarum pars esset gloria,
quâ manu arma, cùdem stylum tractabant, pul-
cerrimâ utriusque concordia. Nunc eò resrediit, ut
nobilitatis pars magna putidum & à generis sui cla-
ritate alienum existimet, animum liberalibus disci-
plinis excolere... quasi id sit male feriati. Palæmonis
famam affectare. Velle meminisset majorum suo-
rum vitam ac memoriam literis præcipue deberi, &
hos libellos in manus sumere ne gravaretur, quorum
lectione Musarum amore exardesceret. Vivant, vi-
geantque, & lectitentur Illustrissimi Poëta, æternâ
digni famâ; digniores, quod hanc non versibus tan-
tum suis, sed multò etiam magis virtutibus æter-
nam faciant. Ita censebam, vovebamque

CHRISTIANUS VOOCHTS S. T. L.
Canonicus, & Archidiaconus Antverpien-
sis, Librorum Censor.

P O E-